



**Francisci De Fargna Civitatis Plebis Patrii Philosophiæ,  
Sacræ Theologiæ, ac J. U. Doctoris ... Commentaria In  
singulos Canones De Jurepatronatus**

Qui sparsim tam intrà, quàm extra corpus Juris Canonici vagantur ...

**Fargna, Francesco de  
Romæ, M. DCC. XIX.**

Canon VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72172](#)

contrarium opinionem esse in praxi rece-  
ptam . Amofaz. de Caus. piis lib.3. cap.5.  
num.34. Castill. controv.jur. tom.5. cap.91.

à num.38. usq. ad n.51. Ad materiam hu-  
jus Casus, vide, quæ latè dixi superius .  
Par.II. Can.XXVII. Cas.XIV.

## CANON VIII.

CONCILIUM TRIDENTINUM Sess. XXIV. Cap. XIV.

**I**N pluribus Ecclesiis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis,  
& Parochialibus ex earum Constitutionibus, aut ex prava  
Consuetudine observari intelligitur, ut in Electione, præsen-  
tatione, nominatione, institutione, Confirmatione, Collatio-  
ne, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem ali-  
cujus Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficii, Canonicatum, aut  
præbendarum, vel Partem Proventuum, seu ad distributio-  
nes quotidianas certæ conditiones, seu deductiones ex Fru-  
ctibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ,  
aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum  
lucra, interponantur, hæc cùm Sancta Synodus detestetur,  
mandat Episcopis, ut quæcumque hujusmodi in usus pios  
non convertuntur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ la-  
bis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non per-  
mittant, ipsique diligenter de eorum Constitutionibus, sive  
Consuetudinibus super prædictis cognoscant, & illis tantum,  
quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas, ut pravas,  
ac scandalosas rejicant, & aboleant; Eos verò, qui adversus  
hæc, in præsenti Decreto comprehensa, quavis ratione  
commiserint, pœnis contra Simoniacos editis, Sacris Cano-  
nibus, & variis Summorum Pontificum Constitutionibus,  
quas omnes innovat, teneri decernit, non obstantibus qui-  
buscumque Statutis, Constitutionibus, Consuetudinibus  
etiam immemorabilibus, etiam Apostolica Auctoritate con-  
firmatis, de quarum subreptione, obreptione, & intentionis  
defectu Episcopus, tamquam Apostolicæ Sedis Delegatus,  
cognoscere possit .

COM-

## COMMENTARIUM

**E**X hoc Canone sequens deducitur conclusio.

IN ACTU NOMINATIONIS, PRÆSENTATIONIS, INSTITUTIONIS, SIVE ADMISSIONIS AD POSSESSIONEM CUJUSCUMQUE BENEFICII EXIGI, ET RECIPI NON DEBET A NOMINATO, PRÆSENTATO, SEU INSTITUTO QUIDQUAM EX FRUCTIBUS BENEFICII CONVERTIBILE IN USUS NON PIOS, SUB PÆNIS CONTRA SIMONIACOS COMMINATIS. □

I Quam conclusionem confirmat etiam D. Pius V. in ejus Constitutione, incipien. Durum nimis la 104. de qua Bullar. nov. tom. 2., ibi = Cùm itaque alias ex plurim Ecclesiarum, Cathedralium, & Collegiarum Constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari inteligeretur, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus Cathedralis Ecclesiae, vel Beneficii, Canoniciatum, aut Præbendarum, vel partem præventuum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensacionesve illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur Turnorum lucra, interponerentur, licet S. Synodus Tridentina hæc detestata mandaverit Episcopis, ut quæcumque hujusmodi, quæ in usus pios non converterentur, atque ingressus eos, qui Simoniacæ labis, aut sordidae avaritiae suspicionem haberent, fieri non permetterent, ipsæque diligenter de eorum Constitutionibus, sive consuetudinibus super prædictis cognoscerent, & illis, tantum, quas probarent, exceptis reliquas, ut pravas, & scandalosas rejicerent, eos verò, qui adversus prædicta, quavis ratione commississent, pænis contra Simoniacos, editis teneri decreverit: multorum tam indomita cupiditate tam prædicta, quam alia ad Beneficium, & commodum ipsorum ministrorum edita, aut omnino contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare nos pro divini cultus exercitio, simulque evocatorum ad illum auxilio plenius evidentiusque consulendum fore, rati, revocamus, & abolemus omnia, & quæcumque privilegia, consuetudines, & statuta quarumcumque Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac majorum, necnon Collegiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut alio quovis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo, ac quantocumque tempore etiam continuo observata, sive pro solvendis Ecclesiarum, vel Prælatorum debitis, sive pro supportandis illorum oneribus, sive aliis etiam majoribus maximis, & urgentissimis causis concessa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innovata, extensa, & moderata, quod vacantibus ipsarum Ecclesiarum Dignitatibus, Canoniciatibus, præbendis, portionibus, Beneficiis, & Officiis, fructus, ac etiam quotidiana distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione Anno, aut longiore, vel etiam breviore tempore preventuri Mensa Episcopali, seu Capitulari, aliove loco integrè, vel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes usus cedant, seu inter alios Canonicos, & Personas Ecclesiae, seu Capituli dividantur. Quodque nullus etiam Apostolica Auctoritate provisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, Beneficium, vel Officium admitti, vel alias in ejus possessionem induci possit, nisi prius de observandis hujusmodi privilegiis, consuetudinibus, & statutis juramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum, & distributionum perceptioni renunciaverit, seu Capitulo, & personis prædictis cesserit, seu (ut appellant) dulciaria, aut quid aliud præstiterit &c. Volentes ea omnia vires, & effectum de cætero non habere; Præcipimus igitur, & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegiis, & personis, ad quas id pertinet, nè post bac fructus, aut distributiones hujusmodi, nec prorsus ullam eorum partem retineant, nevè ipsorum cessionem, vel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodo cumque petant, vel exigant, aut quemquam sive ordinaria, sive Apostolica auctoritate provisum ad præstandum hujusmodi juramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impedian, vel removen- tur. Quicumque contra fecerint, si Ecclesiarum Antistes, tamdiu à Pontificalis officii exercitio sint suspensi, donec satisfactione prævia illis per Sedem Apostolicam suspensio relaxetur; Capitula vero, & Collegia quæcumque Ecclesiastico subjaceant interditto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurvant, aqua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio, quam à Romano Pontifice absolutionis Beneficium nequeant obtainere. □ Et sequuntur

Garz.

*Garz. de Benef. par. 11. cap. 5. n. 144. & seqq. Barbos. hic. Pignatell. consult. 30. n. 6. Card. de Luc. de Canonic. disc. 10. n. 10.*

- 2 Ratio autem prohibendi hujusmodi exactiones in actu nominationis, presentationis, & institutionis fuit, quia illæ sunt nimis prejudiciale Nominato, Præsentato, & Instituto, dum valde incommodum est quod Præsentatus, & Institutus in iis, quæ ad ipsius sustentationem suppeditant, dispendia patiatur; & quia sapiunt avaritiae pravitatem, ac labem Simoniæ, à S. Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis omnino detestatae.

Quoad hanc Conclusionem sequens differitur Casus.

### ARGUMENTUM.

An, & quando valeat consuetudo exigendi à Præsentato, aliquid ex fructibus Beneficii in actu presentationis.

### S U M M A R I U M.

- 1 Reprobatur consuetudo exigendi aliquid à Præsentato, quod convertatur in usum, & utilitatem exigentium.
- 2 Valet hujusmodi consuetudo, si id quod exigitur, cedat in utilitatem Sacristæ, & Ecclesie.

### C A S U S U N I C U S.

**V**Iger in Ecclesia A, de Jurepatronatus, antiqua, & immemorabilis consuetudo, quod quicumque præsentatus ad Beneficium solvat unicuique ex Beneficiatis ejusdem Ecclesia Carolenos decem, ex quo prædicti Beneficiati tulerunt, & actu ferunt onus emendi Paramenta, Vasa Sacra, & alia necessaria pro Sacristia; Cum autem vacante quodam Beneficio, Præsentatus ad illud, in actu suæ Præsentationis, & institutionis, renuat solvere dictos Carolenos, eo, quod dubitet de viribus, & subsistentia dictæ consuetudinis, queritur proinde in hoc casu, an hujusmodi consuetudo sustinetur?

- 1 Respondeo affirmativè, dummodo id, quod exigitur cedat in utilitatem Sacristæ. Consuetudo enim hæc exigendi Carolenos decem à quolibet Præsentato fuit in hac Ecclesia introducta ad effectum illos erogandi in utilitatem Sacristæ, dum ratione hujus exactiois Bene-

ficiati habent onus emendi Paramenta, Vasa Sacra, & alia necessaria pro Sacristia; & consequenter venit servanda. Quoniam licet reprobetur consuetudo exigendi ab obtinentibus Beneficiis, aut Canonicatus in Cathedralibus, vel Collegiatis aliquid quod convertatur in usum, & utilitatem exigentium juxta dispositionem hujus *Canonis*, ibique *Barbos.* n. 5. *Card. de Luc. de Canonic. disc. 10. n. 10.* & *disc. 29. n. 6.*, tamen tolleratur hujus-

- 2 modi consuetudo si id, quod exigitur, cedat in utilitatem Sacristæ, & Ecclesie, ut in terminis docent *Garz. de Benef. par. 11. cap. 5. num. 144. Tondut. quest. Benef. cap. 47. n. 5. & seqq.*, & fuit resolutum à S. Congregatione Concilii in Tudertina 19. Febr. 1635. lib. 14. decret. fol. 709. in Polignanen. anno 1584., & in Avenionen. anno 1586., & novissimè in Caffanen. 3. Decembris 1718., ubi cum exorta fuerit controversia de validitate consuetudinis vigentis in receptitia Ecclesia S. Mariæ Majoris Civitatis Marathæ Diœcesis Cassanensis, vigore cuius quicumque Sacerdos antequam admittatur ad numerum Sacerdotum participantium solvit unicuique ex illis decem Carolenos, ex quo prædicti Sacerdotes participantes tenentur providere Sacristiam de omnibus necessariis, disputatum fuit: *An Consuetudo vigens in Ecclesia Matrice S. Mariæ Majoris Civitatis Marathæ exigendi à quolibet Presbytero admittendo ad participationem Massæ Communis ejusdem Ecclesia Carolenos decem, sit servanda in casu &c.* *cui S. Congregatio rescripsit* *Affirmative dummodo fiat depositum in capsa Sacristæ, & quod depositum erogetur in usum Sacristie tantum.*

CA-